



Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

Abelly, Louis

Coloniæ Agrippinæ, 1659

§. 2. De virtute spei, & peccatis illi oppositis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38979

Judaismum, & hæresim; quibus qu. 12. addit apostasiam; a ut enim quis renititur fidei nondum susceptæ, & talis infidelitas est paganorum; aut renititur fidei susceptæ in figura, & sic est infidelitas Iudæorum; vel fidei susceptæ in manifestatione veritatis, & sic est infidelitas apostatarum quidem, si fides suscepta in totum abjiciatur; hæreticorum verò, si tantum ex parte.

Est autem observandum ad rationem hæresis duo requiri (ut docet S. Thom. q. II. a. 3. ad 3.) primum est, ut sit error contra aliquam fidei veritatem à Deo revelatam, & ab Ecclesia propositam: secundum, ut ejusmodi error cum pertinacia & contumacia junctus sit: unde *Si qui sententiã suam* (ut loquitur S. Aug. Ep. 162. & refertur cap. *Dixit Apostolus 24 qu. 3.*) *quamvis falsam atq; perversam nulla pertinaci animositate defendunt, quarunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint; nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.*

Ad hæresim quoque pertinet peccatum illorum, qui de articulo aliquo fidei deliberatè dubitant; ut enim dicitur cap. 1. de hæreticis *Dubius in fide, infidelis est.* Item si quis exponat se periculo errandi in fide, ut si ex curiositate, aut alia prava intentione libros hæreticorum legat; eorum conciones audiat; cum illis de fide temerè disputet; aut frequenti & periculosa illorum conversatione utatur.

§. II.

De virtute spei, & de peccatis illi oppositis.

SPEI nomen sumitur hic pro virtute supernaturali Theologica divinitus infusa, quæ homo fidelis, in præsentem quidem sæculo bona salutaria, in futuro verò ipsam æternam salutem à Deo cum fiducia expectat per Christi merita.

Dicitur 1. (virtus supernaturalis infusa) juxta comunem doctrinam S. Tho. 1. 2. q. 62. & 63. omnium Theologorum: unde

unde S. Bernard. in Psalm. 90. dicit hæc Psalmistæ verba, *Quoniam tu es Domine spes mea, à nullo verè proferri posse, nisi cui intus persuasum sit à Spiritu sancto.*

Dicitur 2. (Theologica) quia Deum immediatè respicit pro objecto primario & præcipuo: *Neque enim, ut ait S. Thom. 2. a. q. 17. a. 2. aliquid minùs sperandum est ab ipso Deo, quàm ipsemet Deus.*

Dicitur 3, per illam expectari à Deo non modò salutem æternam, quæ in ipsius Dei fruitione consistit, sed etiam omnia alia quæcunque bona salutaria, id est ad salutem consequendam necessaria aut utilia, sive corporalia, sive spiritualia sint; quod constat ex iis, quæ Christus Dominus nos à Deo postulare, & proinde sperare docuit in oratione Dominica: *Ea siquidem, ut loquitur S. Aug. c. 114. Enchir. ad spem pertinent, quæ in oratione Dominica continentur.*

Dicitur 4. bona illa expectari cum fiducia; spes enim omnipotentia & fidelitate Dei promittentis innititur: unde Hebr. 6. vocat spem, *Anchoram animæ firmam ac tutam.* Quamvis autem fiducia illa quatenus Deum respicit certissima esse debeat: quia tamen ex parte nostræ cooperationis multi defectus accedere possunt, quibus promissionum divinarum effectus impediatur, ideo monet Apostolus ad Philipp. 2. *Ut cum metu & tremore salutem nostram speremur: qui enim sperat (ut dicit S. Aug. Serm. 15. ad fratres in eremo) & non timet, negligens est; qui autem timet & non sperat, depressus est, & descendit in profundum quasi lapis.*

Dicitur denique per Christi merita: quamvis enim ex parte quoque nostra ad assecutionem vitæ æternæ merita requirantur; quia tamen sine divina gratia, quæ per Christi merita nobis confertur, nihil possumus; & in iis quæ possumus & volumus longè potiores sunt partes gratiæ divinæ quàm voluntatis humanæ; ideo *Abst. ut Christianus homo in se ipso vel confidat, vel gloriatur (inquit Concil. Trid. sess. 6. c. 16.) & non in Domino: cuius tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.*

Quæres, an licitum sit spem in homine, aut alia creatura collocare. Resp. cum S. Doctore 2. 2. q. 17. art. 4. quanquã
in

in Deo solo ut principali causa totius boni spes collocanda sit, licitum tamen quoque esse sperare ac confidere in homine aut alia creatura, tanquam causa secunda & instrumentali, per quam secundum divinæ providentiæ ordinem adiuvari possumus ad conequendum aliquod bonum, quod ad ultimum & summum bonum orderetur.

His breviter explicatis, videndum est quid circa virtutem spei hoc primo Decalogi mandato præcipiatur, aut prohibeatur. Ac in primis certum est extare divinum præceptum de spe in Deum concipienda ut docet S. Thom. q. 22. a. 3. quod quidem præceptum, in quantum negativum est & desperationem prohibet, obligat semper ut ex antèdictis constat, in quantum verò affirmativum, tribus præsertim in casibus secundum probabiliorem Theologorum sententiam obligare censendum est. Primus est, quando primùm homini adulto sufficiēter innotescit se à Deo creatum esse ad vitam æternam consequendam, seque teneri vitam illam æternam & media necessaria ad illam consequendam à Deo sperare. Secundus est, quando ad aliquid faciendum obligatur, quod actum spei velut dispositionem necessariam prærequirit; e. g. quando tenetur de peccatis pœnitere; ad illorū siquidem remissionem divinæ misericordiæ spem requiri docet Concil. Trident. Sess. 6. cap. 6. Tertius est, quando gravis aliqua tentatio desperationis urget, quam aliter homo superare non potest, nisi actum spei eliciendo.

Rectè autem monet Isamb. Tract. de spe disp. 6. a. 5. ad satisfaciendum ejusmodi præcepto non esse semper necessarium, ut formaliter eliciatur actus ipsius spei, sed satis esse ut virtualiter, quatenus includitur virtualiter in alicujus alterius virtutis actu, v. g. perfectæ contritionis, qui tunc formaliter eliceretur.

Quod spectat ad peccata, quæ spei adversantur, ac proinde hoc primo præcepto prohibentur; Theologi docent duobus præsertim modis contra spem peccari posse, præsumptione scilicet, & desperatione.

Rursus præsumptio duplè committi potest ut docet

ect

cer S. Tho. q. 21. a. 1. primò, cùm quis præsumit se divinam gratiam, aut gloriam æternam ex se ipso & naturæ suæ viribus adipisci posse, secundò, cùm præsumit se ex sola divina misericordia consecuturum remissionem peccatorum sine ulla poenitentia, aut æternam beatitudinem sine ullis operibus meritoriis.

Desperatio verò committitur, cùm quis deliberatè de misericordia divina diffidit; nec peccatorum remissionem, aut beatitudinem æternam, mediâque ad illam necessaria amplius à Deo expectat, ideoque omnem conatum ex parte sua requisitum intermittit. Rectè autem observat Tolet. lib. 4. c. 7. desperationem aliquando esse hæresim coniunctam; si quis v. g. existimaret ac pertinaciter sibi persuaderet Deum aut nolle aut posse peccata à se commissa remittere, ejusque misericordiam talem non esse, quæ tot & tam gravia peccata toties iterata condonare velit aut possit: quod in confessione specialiter declarandum foret.

§. III.

De virtute Charitatis, peccatisque illi
oppositis.

NO MEN Charitatis secundum communem Theologorum acceptionem significat excellentissimum quendam amorem, qui proinde bonum excellentissimum & summè perfectum tanquam obiectum spectare debet, Deum scilicet; qui propter se summè diligendus est, & propter quem cætera omnia diligere debent.

Cùm autem de hac nobilissima virtute plurima disputari soleant à Theologis, nos hinc præcipua tantummodo & scitu magis necessaria ex eorum communi & recepta doctrina, præsertimque ex ijs quæ apud S. Doctorem c. 23. 24. & seq. fusiùs explicantur, seligemus.

Primum est, charitatem non modò esse virtutem supernaturalem Theologicam cæteris omnibus quibuscumque
virtu-